



Inhalt.

- 1., über die Freiheit protestantischer Agenten in  
England gege. von Tonge. Druckfein 1788.
  - 2., Kommentar über die Amerik. Friede. Rei.  
gründet. Amsterdam 1788.
  - 3., Westphal Orationes due. Accedit Ansua  
Erlst. regi. Halle 1788.
  - 4., Doktor Lüttke an den Käfer von Grunewald.  
1788.
  - 5., die Aufklärung in Großt. M. m. Gedenk.  
Wittenberg 17. Febr. 1788.
- 

C. B. f.

1987.

3

D. ERNESTI CHRISTIANI WESTPHAL  
JUR. PROF.

# ORATIONES DUAE.

ALTERA

DE ORTHODOXIA RELIGIONIS JURECONSULTIS  
RECENS A NONNULLIS EXPROBRATA.

ALTERA

DE VERA DEI COGNITIONE ET REVERENTIA  
REBUS PUBLICIS CHRISTIANIS NECESSARIA.

ACCREDIT

CENSURAE EDICTI REGII

HUJUS ANNI,  
QUO IN SACRIS DOCENDI LICENTIA

COERCETUR,

CONFUTATIO.

---

HALAE MAGDEBURGICAE, —  
IMPENSIS JOANNIS JACOBI GEBAUERI.

c/o ICCC LXXXVIII.

D. ERNSTI CHRISTIANI WESTPHAL

JULY 1705

# ORATIONES Duae

A L A T A

DE ORTHODOXIA RATIONE HOMINIS ET

TRINITATIS IN CONCORDIA TRINITATIS

A L A T A

DE HORA DEI CONVIVIO ET REVERENTIA

REPOS TORPORIS CHRISTIANI NECESSARI

CENSUARAE PREDICITI REGII

HABUA VNU

QD IN SACRIS DOCUMENTIS HISTORIA

CORRECTION

CONVERSATIO

LAETATE MAGDEBVRGICAE

WENIGER TOTUMS IACOBI GERMANI

QD 15000 LXXXVII



## ORATIO I.

DE

ORTHODOXIA RELIGIONIS JURE.  
CONSULTIS RECENS A NONNULLIS  
EXPROBRATA.  
HABITAT IN CONSESSU ERUDITORUM  
HALENST. A. 1787.

**M**ale olim Jureconsultos apud sacrorum antistites et doctores non minus, quam in compitis plebis, audiisse, et tam in fide, quam christiani profidentur, quam in vita, non sine labe eos judicatos esse, notissimum est. Jaetum in eos vulgare dicterium: *Juristen böse Christen.*

Jam licet negari nequeat, meritos esse non nullos ex hoc ordine illud probrum, morum aut sententiarum, quas ore vel scriptis prae se ferebant, turpitudine; tamen non hunc esse fontem

4

potissimum injuriae, paulo propius re spe*ctata*,  
facile intelligitur. Eadem enim res et in caete-  
ris hominum classibus deprehenditur, ut JCtis  
propria esse non possit illa accusatio. Sacerdo-  
tum potentiae, arrogantiae, invidiae adversantes  
hi homines, necessario sacri ordinis crabrones  
irritabant, et eorum, quorum commodis obstre-  
pebant, facile contrahebant odium et invidiam.  
Constat, quid Fridericis illis, magni nominis  
ante interregni tempora imperatoribus, quid  
Ludovico Bavarо, insigni juri*m* imperii adsertori,  
aliisque pontificiae majestatis domitoribus pro-  
fuerint Jureconsulti. Hinc origo injuria*e* et cri-  
minationis, quam plebs, a sacerdotibus acce-  
ptam, vulgari hos sequendi more, libenter sine  
mente resonabat.

Placet nostra deductio, prae ea, qua usus  
est Hertius in paroemiis, qui a Germanis, foli  
simplicitati et olim in jure adsuets, rem derivat;  
et quidem ideo p*rae*placet, quia apud scriptores  
ecclesiasticos prima dicerij mentio fit. Cala-  
num hic merito strinxit Ant. Vdalr. Erath  
in defens. Jprud. et JCtor. contra male de illis  
sentientes. Nam ab honestate et pietate nec vete-  
res, nec recentiores Jureconsultos alienos fuisse,

jam

jam dudum docuerunt alii. Antiquorum hono-  
rem vindicavit Corn. v. Eck Or. de relig. et piet.  
vet. JCtor. in Slevogt Opusc. de Sect. et Philos.  
JCtor. A recentioribus et omni ordine genera-  
tim pravitatis notam abstergere permulti, quor-  
sum R. H. Ziegler de JCTis bonis christian. Jo.  
Gottfr. Meier diff. ad Paroem. *Juristen böse  
Christen*, Jo. Guil. Berger de relig. JCTi, Idem  
de bono Christiano in bono JCTo, J. Harppr.  
de dicter. vulg. Bonus JCTus mal. christian.  
P. Haberkorn de religione JCTor.

Sane eorum, qui pietate et meritis in eccl-  
esiam et rem sacram clari fuere, magnus est numerus,  
quod memorant M. H. Engelhard Schwarz de  
piet. et merit. JCtor. in eccles., Traug. Imman.  
Jerichow de JCTis theologis, M. J. Nic. Sinnhold  
de merit. JCtor. in relig. christ. Jo. Phil. Schmidt  
de piet. et script. theolog. JCtor. Jo. Paul Win-  
deck de theologia JCtor. Io. Chr. Stemler *Abh.*  
*v. d. Verdiensten einig. Rechtsgel. um d. christl.*  
*Rel.* Quippe scriptis illustrarunt historiam  
sacram et praecepta religionis, eorumque fontem  
sacram scripturam, de quo legendus Io. Ern.  
Floerke *Nachr. v. d. Kirchen-Scrib. so Juristen ge-  
wesen*, Gottl. Frid. Gude de JCTor. merit. in sacr.

scriptur. Theod. Ebert Elog. cent. JCtor. qui  
 Ebr. ling. et alias orientales promoverunt, Chr.  
 Aug. Heumann de JCtis Germ. saec. XVI. discipl.  
 suae adjungent. et theolog. et piet. studium.  
 Ita non tantum in primis ab orbe redempto faecu-  
 lis rem divinam adjuverunt, de quo J. Mich.  
 Heineccii diff. de JCtis christian. prior. saec.  
 eorumque in eccles. merit. Sed et eo tem-  
 pore, quo a fôrdibus humanis purgabatur sacra  
 scientia, de quo conferatur Fr. Friesii Pr. de  
 JCtis, qui reformat. Lutheri adjuvarunt, J. G.  
 Heineccii Pr. de JCtis reformat. eccl. praelud.  
 in Ej. Opusc. varior. syll. J. Chr. Mylii Or. de  
 patrocin. A. C. a JCtis praest. J. H. a Seelen  
 JCtor. qui Lutheranismo insigniter profuerunt  
 tetrâs, Fr. Fries de JCtis quib. inter primos relig.  
 divinique cultus reformat. curiae cordique fuit. Ut  
 et magnum Sanctorum inter JCtos esse chorum  
 non commemorem, non unum tantum, S. Ivonem,  
 vt nonnulli putarunt, de quo scripsit Io. Robert.  
 in Sanctor. quinquag. Jurisperitor. elogiis con-  
 tra popul. commentum de solo Ivone.

Rarius auditur hodie pristini temporis san-  
 na. Alia agitur fabula. Orthodoxiam religio-  
 nis, ut pusilli animi ac ingenii indicium, nunc  
 expro-

7

exprobrant Jctis ii, qui, omnis freni impatiens, ingenio suo in causis religiosis pro animi libidine indulgent. Hi cum in licentiae suae societatem alios trahere nequeant, illis, ut glebae adscriptis hominibus, et ab omni liberali doctrina destitutis, orthodoxorum in invidiam verso nomine illudunt. Sunt inter eos, qui tam cito a gradu suo dejici nolunt, etiam permulti ex Jctis. Hos, ut altioris suae scientiae ignaros, non tantum alto supercilium contemnunt, sed et, ex sola artis consuetudine de re diversissima opinari, juri constituto quippe adsuetos, etiam in sacris litteris explicandis nihil se confecutos putare, nisi et ex his sententias a ratione alienas atque ab hac devias expresserint, et sic, ut futores ultra crepidam, sapere, in ludibrium addunt.

Age videamus, an tantum discrepet scientia sacra a re juridica; an recte faciant Jcti, qui tam lente sequuntur desultoria ista ingenia; et qui accidat, ut ii, qui litteras sacras data opera profitentur, hic audaciores sint Jctis, qui a scripturae sacrae verbis latum unguem discedere religioni sibi ducunt.

Ante omnia transigendum inter nos est, quid sit orthodoxia, de qua disputatur. Hanc in eo consistere, per ipsa rerum argumenta docemur, si quis sacras litteras ex fonte quidem suo, et ejus temporis, quo ortae sunt, indole explicet, eis tamen, cum divinas habeat, alium sensum non inferat, quam qui hoc modo, collatis inter se pluribus earum locis, et ex consequentia orationis, cuique facile innotescit; si id, quod hoc modo inde erutum est, prius, quam quae ex ratione hominis colliguntur, attendat, et in his demum, quae scriptura sacra non docet, fanae rationis supplemento utatur. Similem orthodoxiam in legibus humanis explicandis sequuntur JCTi, et tenendam sibi esse putant. Egit de ea Jac. Carmon de Orthodoxyia JCtor.

Primo historiae, et juris, et civilis, subdio utuntur Jureconsulti. Deinde in legibus ipsis versatur ipsorum studium, quarum et contrarietates conciliant, unde jus eorum controversum oritur. Hic ita procedunt, ut primum in sinceritatem verborum inquirant, et an hic vitii quid irrepserit, dijudicent, quod Criticam vocant. Tum de verborum sensu sunt solliciti, quo invento, interpretationem ex ratione legis et

et mente verborum addunt. Sensum ex ipsa auctoris consuetudine, legum inter se collatis locis pluribus, et aliorum ejus temporis auctorum scriptis, hauriunt. Rationem legis ex historia, comparatione plurium sanctionum, orationis serie, ipso legislatoris indicio, deducunt. Hoc modo inventae sententiae mordicus inhaerent, carmenque vulgatum: lex utut dura, tamen est sequenda, in ore gerunt, et judicando exprimunt. In omni quaestione primo, quid leges statuerint, indagant, nec rationis arbitrio, nisi a legibus constitutis plane nudi, rem committunt. Inde regula Jutorum, turpe esse Jcto sine lege loqui.

Juri itaque naturali, cui praeter legum civilium scientiam operam navant, tantum in subsidium legum, in hoc vel illo argumento plane silentium, locus relinquitur, de quo Weingaertner de legit. jur. nat. applic. Gonne dica jur. publ. universalis, et alii. Legibus cognoscendis sic impiger impeditur labor, quae quo penitus perspiciuntur et comparantur, eo melius de ipsa Jurisprudentia agitur. Illud legum scrutandarum studium solum pellit praxeos incertitudinem, et firma ac stabilia scientiae alias nutantis fundamenta ponit.

Non sine jure legum prae rationis praeceptis prerogativa in scholis JCtorum recepta est. Arbitrium et ratio lubrica res sunt, in qua quilibet ingenio suo abundat, ut et sic apprime consulatur certitudini, si quamdiu fieri potest, ad jus constitutum confugias. Jubet quoque legis auctoritas, ne eam ignores, ubi adest, et sic legislatoris voluntatem superhabeas. Ignorantiam produnt, aut temeritatem, qui alia via incedunt, de quibus scripsit J. Jul. Surland Pr. de JCtis haeret.

Non dispar est doctrinae sacrae conditio. Habet libros a Deo ideo homini traditos, quoniam in rebus ad se pertinentibus diu erraverat, caecutiveratque. De horum librorum puritate primum tractat Critica sacra. Deinde sensum verborum indagat Exegesis, quae simul rationem et mentem eorum sedulo eruit. Loco historiae, et juris et civilis, hic est historia ecclesiastica et introductio in libros veteris ac novi foederis, et juris controversi locum doctrina polemica occupat. Quod JCtis jus naturale, id theologis praestat theologia naturalis. Ita inter se similes sunt disciplinae, de quo H. E. Kaestner de nexus Theol. et Jprud., ut permulti et juris et theologiae studium

studium conjungendum esse putaverint, ut D. Hoffmann de conjungendo c. stud. jur. theologiae studio, J. H. Mylius Pr. de Jprud. c. theol. et philos. conjunctione, Mart. Rango Pr. de necessitate stud. theol. ad stud. jur. et vice versa, et in methodo JCtis theologos sequi suaserit Jo. Hartw. Reuter Pr. de Jcto theologos imitante.

Sed via, qua theologos sequantur, tum JCtis omnino consulta fuit, cum eadem semita utrique incederent. Nunc, cum magna pars eorum, qui divina tractant, a pristino more recesserit, non licet amplius JCtis eorum vestigia legere, nisi penitus suam artem evertere velint. Solent enim illi e sola ratione omnia doctrinæ suae subsidia petere, quid Deus in sacris suis oraculis docuerit, vel penitus negligere et ignorare, vel id ita detorquere, ut cum ea, quam sequuntur, ratione in nullo discrepet, quamvis videatur diversissimum. Idem si facerent JCti, abjiciendae iis essent leges, quibus cognoscendis tantum hucusque studium insumerent, et judicis arbitrio et aequitati omnia essent permittenda. Hoc fieri non posse, quilibet statim pavidet, qui quale Principibus legum autoribus debeatur obsequium, quod ita prorsus exueretur, considerat.

Inde

Inde vero et quam perperam agant novae  
doctrinae in sacris sautores, palam intelligitur.  
Nonne eadem aut major Deo, leges ferenti, et  
docenti, quam legislatori humano debetur  
reverentia? An Deus rem plane inanem egit,  
ut magno apparatu in oraculis suis ea manife-  
staret, quae hominibus jam ultro erant cognita?  
An fuere eadem nota, aut sunt adhuc, iis, qui  
divinae scripturae adminiculo destituebantur,  
aut nunc destituuntur? An in ratione Deum co-  
lendi, et spe ac via futurae salutis, aliquid vide-  
runt, inter se conspirarunt, et certo gressu in-  
cesserunt, an insaniverunt potius, titubarunt,  
innumeris inter se erroribus distracti sunt? Non-  
ne ea interpretatio adiumenta, quae planissima,  
fini, cujus causa Deus oracula sua promulgavit,  
accommodatissima, verborumque conjunctioni,  
et omnium eorum, quae dicta sunt, inter se  
concordiae conveniens, atque in aliis scriptori-  
bus explicandis consueta est? Unde tanta inter-  
hos novos doctores discordia, ut vix unus sit,  
qui cum altero in rebus maximi momenti conspi-  
ret? Nonne periculosisimum et exemplo grave  
est, in re tam seria aeternae salutis tam desul-  
torie titubare? Scribendum itaque hodie esset  
de Theologo JCtos imitante, et horum exemplar

ei,

ei, qui divina docere vult, ob oculos effet ponendum.

Cum autem nunc tantum exortum sit inter JCtos et novos theologiae architectos in artis via et ordine dissidium, operaे pretium facturi videmur, si rationem hujus discriminis paucis indagemus, quae, cum in ipsarum disciplinarum inter se diversitate posita esse non possit, dum sibi sunt simillimae, extera sit oportet. Et quidem exatius rem cogitanti in duobus potissimum rationem divertii invenisse mihi videor. Prima ratio indubie est, quod JCTi praesentem, et autoritatis suae vindicem, vident Principem, cuius leges si negligenter, aut contra mentem ipsius interpretarentur, non impune ferrent hanc sentendi et judicandi licentiam. Praesunt inferioribus Principis ministris superiores, qui, quae licentius aguntur, statim corrigunt, ipsi rationibus Principi reddendis juramenti fide obstricti. Horum nullum freна injicit ei, qui in disciplina sacra ingenium et studium exercet. Numinis ab oculis remoti metus non adeo tangit, quam Principis, cuius vindicta praestō est. Ratio profane insumti in sancta doctrina studii in hac vita non redditur. De iis, quae post mortem immi-

imminent, pauciores cogitant. Praesente pie-  
tate et vera erga Deum reverentia pauci agun-  
tur. Hac itaque vacuum hominis animum nihil  
impedit, quominus quicquid maxime ad pala-  
tum est, in rebus divinis dicat, et sibi aliisque  
persuadeat. Jucundius omnino est, sibi tantum  
obsequi, quam alieno arbitrio ingenium volun-  
tatemque submittere. Multe etiam inventionis  
gloria, et famam ingenii, nullis cancellis in-  
clusi, faciliter adsequi licet, quam ubi fines  
agnoscendi sunt, ultra quos non licet egredi.  
Multae justo severiora videntur hominis libidini,  
quae jubet praeceptorum divinorum sanctitas.  
His si potest hilariore interpretatione rigor de-  
trahi, gratia apud omnes initur, qui sic a mo-  
lestia liberantur, et dulcissim ab ipso doctore vivi-  
tur. Multa comprehendunt divinae litterae,  
quae nunc non funditus se intelligere, fateri cogi-  
tur interpres, qui sensu communi et vulgari illas  
explicat et colit. Durum autem est homini  
elationis ingenii, in quoquam ignorantiam pro-  
fiteri. En radices eorum, quae in perversum  
agunt eos, qui sibi potius, quam Deo et com-  
muni utilitati vivunt. His ita comparatis nemo  
mirabitur, cur tanta sit inter Ictos et novos fa-  
crae disciplinae antesignanos discepantia.

Altera

Altera supérest ratio, quae tamen JCtis non propria, sed omnibus communis est, qui res sacras non ex professo et per officii rationes tractant. Ii, qui extra officii rationes rebus divinis otium insumunt, plerumque vera in Deum pietate, et seria salutis sua cura ac cogitatione id faciunt. Sic animati non possunt non sancte, devote et cum sincero Deo placendi, et gratiam ipsi habendi, studio ad librum accedere, qui ipsius voluntatem promissionesque divinas continet. Nihil, quantum in viribus ipsorum situm est, ne praecepsit divinis exakte satisfiat, in se desiderari optant. Lumina sua tam fallacia face adeo splendente collustrari lubenter patiuntur, et omnem non in illis, sed in hac, veritatis ac lucis fiduciam collocant. Viam, quam Deus monstrat, religiose sequuntur, in eaque vel ad dextram vel ad sinistram deflectere, divinisque litteris aut addere aliquid, aut demere piaculum judicant. Nec tamen ideo rationis et fani sensus adjumentum ibi ejurant, ubi divina oracula nihil praecipiunt. In eo sunt his, qui sua luce sola utuntur, sapientiores, quod justum cuique rei pretium statuunt, dum nec humano ingenio suam vim denegant, nec tamen scripturae divinae autoritati aliquid detrahunt. Deum timent,

eos

eos quoque, qui voluntatem ipsius manifestatam non pie et obsequiose coluerint, ad rationes contumeliam sui vocaturum; et omnem ejus sinistram interpretationem indigne laturum. Tutissima, quae datur, via incedunt, dum numquam Deum ideo suos castigasse appareat, quod exakte praecelta ipsius impleverint, sed eam semper ob causam, quod perspicuam ejus sententiam fallacia malorum consilio circumvenerint, ab ea que deviarint. Ita nunc cognitionis divinae eadem, quae Jurisprudentiae indoles. Qui ita sentiunt Deum, in oraculis suis loquentem, semper ventrentur sibi praesentem, et gratia ejus aut indignatio ipsis, ut continuo imminens, animo insita est. Unde fit, ut ipsis ab omni audacia, ultra clara ejus verba sapiendi, aut verba a vi sua ad arbitriam suam sententiam trahendi, interdicatur.

Qui autem ex solius officii necessitate, ut vitam alant et tolerent, et ut famam, honores aliaque hujus vitae praemja consequantur, doctrinae sacrae studium eligunt, illi scientia rerum divinarum caput magis et cerebrum, quam animum, implent, in sua disciplina tamquam in regno et patrimonio suo versantur, in quo aedi-

aedificandi, destruendi, faciemque rerum immutandi jus sibi datum existimant, non quasi administratores in re aliena, a Deo sibi credita, se constitutos habent, de calculo, ad quem olim vocandi sint, plane securi. Hinc urunt, secant, grassantur, leges divinas figunt refiguntque, et in qualibet strage rerum antea pro firmissimis habitarum mirifice sibi placent. Hinc tantum inter hos et prioris generis homines discrimen.

Non vero, ut jam dictum est, id Jctis proprium, sed in omnibus, qui se theologos non profitentur, divina tamen et salutem suam atque honestatem amant, idem videre licet. Unde ex omnibus reliquis doctorum hominum classibus, hujus ingenii ac indolis viros reperias, ut ex medicis Hoffmanni, Richteri, Boerhavii, Halleri, ex philosophis Wolfi, Baumgartenii aliique, quemadmodum ex Jctis Brunnemannii, Strykii, de Cocceji, Seckendorfii, Boehmeri, Puffendorfii, Moseri, Pütteri, antiquioresque multi, de quibus alii jam scripserunt, notissimi sint.

Est, quod his hominibus cum specie objiciant scientuli. Versari, inquiunt, hos in aliena

regione. Deesse ipsis eas doctrinae copias, quibus ad perspiciendum fundi ingenium opus est. Cognoscere eos tantum superficiem, abdita non posse rimari. Hinc accidere, ut facillimam conscientiae suae consulendi viam eligant, siveque litteras divinas sine omni arte recondita, simplici pietate, exosculentur. Sed primo, inter praecipuos divinae sapientiae doctores, ii, qui a sincera in Deum pietate maxime cogniti sunt, licet omnibus, quas nostri desiderant, opibus instruti, eum, quem ipsis opposuimus, sentiendi in sacris morem secuti sunt, ut praeter repurgatorum sacrorum autores, aliosque pristini temporis theologos, ex nostro tempore de Walchiis, Mosheimis aliisque constat. Deinde hic non doctis sacrae disciplinae antesignanis opponuntur ex plebe et nullarum litterarum homines, sed primarii ex quavis eruditorum classe viri. Hi, si non illas, quas ejus professionis homines, ad sacra intelligenda, doctrinas adferunt, non tamen omni adjumento, quo ad rite judicandum opus est, destitnuntur. Possunt scripta eorum, qui doctiores in hac causa fuerunt, versare, rationes rerum ab iis scriptarum intelligere ac ponderare, adversariorum novas fententias sibi notas facere, et tum collatis utrorumque argu-

men-

mentis, utra praeponderent, maturo saltim et virili ingenio aestimare.

Jam videtis, A. quam parum vituperii loco habendum sit id, quod in JCTos jaſtatur, de orthodoxia religionis diſterium, quamque multum potius laudis et commendationis iis adferat. Deo jam pie supplicemus, ut mentes omnium hominum ita adjuvet, quo non niſi ea cogitent, proferant, agantque, quae ipſi placent, honorem ejus promovent, ſalutique et publicae et privatae, tam praefenti, quam futurae, et aeternae, convenient.

## ORATIO II.

DE

VERA DEI COGNITIONE ET REVERENTIA  
REBUS PUBLICIS CHRISTIANIS  
NECESSARIA.

HABITA IN CONSESSU ERUDITORUM

HALENSI A. 1788.

**N**on ad hujus, quam vivimus, vitae felicitatem unice nasci homines, sed in hoc vitae seminario, ad veram vitam, post depositam hanc mortalitatem inchoandam, institui, praeparari et maturescere, fide christiana certissime, et rationis non improbabili conjectura docemur. Futuram illam immortalis animi felicitatem sincero virtutis cultu, vera in Deum pietate, voluntatis divinae obsequio, fideli omnis officii functione, ingenii ac mentis sedula emendatione parari, iisdem argumentis notissimum est. Interest igitur enjusvis hominis, ut praeter eorum, quae ad hoc saeculum pertinent, scientiam et diligentem observationem, etiam viam noscat, qua Deo placendum, et ad beatam illam immortali-

talitatem eundum sit. Pia divinorum reverentia non tantum ad futuri aevi beatitatem informat, sed et praesentis temporis amplissima proposita habet praemia. Haec et sua natura honestatem comitantur, et in sacris litteris promissa sunt utraque pagina.

Curandum itaque est cuivis de salute sua sollicito homini, ut cum casta et sobria rerum divinarum scientia coniunctus sibi sit ad integrum Dei cultum et quaevis virtutis munia promptus et divinitus adjutus animus. Non ad eos tantum, qui per officii rationes sacra tractant, illam scientiam pertinere putandum est, nec in exiguis illis ejus initisi, quibus puerilis imbuebatur aetas, subsistendum, quasi infra adulti et jam educati hominis diligentiam posita sit, nec ullo ulterius incremento indigeat, sufficiatque bene morato homini, si sacris consuetis, per dies iis destinatos cum frequente populo, bene vestitus, nec indiligerenter, intersit, et ad ea, quae in altari ministrantur, interdum modeste compositus accedat.

Pura rerum divinarum scientia acquiritur adsidua sacrarum litterarum tractatione, cum

qua conjungenda sunt ea, quae per nostrorum temporum industriam prostant, ad intelligendum popularia subsidia. His adhibitis si justum verborum, quem in originis fermone habent, sensum erueris, caeterum a simplici eorum intelligentia non recedendum, sed sententiae, quae, collatis inter se ejusdem argumenti locis, prodit, constanter inherendum, sive idem ex ratione cognosci possit, sive illa hujus fines excedat, et quod ratio non viderit, credere jubeat.

Non enim alias firmatur animus, sed a quovis interprete per ludibrium modo hoc modo illuc impellitur. Non est arbitrii nostri, quae in rebus divinis probare, et quam salutis aeternae viam nobis eligere velimus. Inexcusabili modo nostrates dicto, quod ex quavis gente, qui Deum timent et recte agunt, Deo placeant, ad inde extorquendam cujuscunque in divinis persuasionis praestantiam abutuntur, cum idem ipse, cui scriptura divina ad manus est, hanc autem pro libidine negligit, ideo Deum nec timeat, nec recte agat, et si cuivis hic animi sui sententiam sequi permisum esset, revelatione divina opus non fuisset. Cui deest verividendi copia, et ea, quae sola ipsi concessa

cessa sunt, ad cognitionem et vitam Deo gratam atque honestam media ingenue circumspicit, adhibet et in rem suam vertit, is demum est, qui ex omni hominum genere Deum timendo et recte agendo benignam Dei voluntatem sperare possit.

Debetur ea reverentia divinis praexceptis, quae ob rationis lubricitatem fuerunt necessaria, et hinc religiosissime tenenda sunt, ne recedendo in hanc vel illam partem titubemus et periculose labamur, cuius rei culpa in futuro Dei iudicio aegre posset purgari. Exigit idem expressa Dei voluntas, quae dictis ipsius fidem habere, iisque rationis fasces submittere affatim praecipit. Eadem quoque est cuiusvis interpretationis regula, quae mentem verborum sensui et litteris plane contrariam et oppositam statuere vetat. Incesserunt eadem via primorum saeculorum sacerdotum, et christianorum ejus temporis, quae vocantur, et universalia et particularia concilia. Restituerunt neglectum hunc tramitem reformatorum sacerorum autores, eorumque vestigia legerunt omnes sequentes, haec restituta sacra professi, religiosi et summae eruditiois viri ad adultum usque nostrum saeculum: Non enim

discedere a sacra scriptura, sed pone eam sequi, est purgationis sacrorum ante tria saecula factae genius. Discessione opus non erat, quae jam antea fuerat maxima. Si post aliquantuli temporis simplicitatem ab ea tam multis parasangis recedimus, omnis, qui ex sacrorum castigatione decerpit debet, fructus dolendam jacturam facimus, et eo fere regredimur, unde eramus egressi. Ex priorum itaque autorum scriptis desumendum, quicquid sanæ et integrae christianaæ doctrinae est, iisque, quae Seilerus, Cramerus, Sturmius, Silberschlagius aliique similis sinceritatis doctores tradiderunt, addenda sunt. Ver gente demum nostro saeculo a pristina ratione christianaæ doctrinae impetu quasi facto degenerarunt quamplurimi. Mutationis hujus ei, qui reliquam nostri temporis indolem meditatur, facile patet occasio. Malo late grassato quomodo obex poni possit, Deus providebit et passim providet.

Tenax et integra divinae doctrinae custodia magni est ad mentis quoque integratatem momenti, earumque rerum familiaris inter se est nexus. Prior enim ex oraculorum divinorum verecunda aestimatione proficiscitur, a qua ingenium probum et

fan-

sanctum abesse nequit. Unde et qui de rebus  
salutis aeternae juste et recte statuunt, non facile  
a morum pietate deflecent, et, quorum vita  
sancta et religiosa est, hi planam fidei regulam  
non facile deserunt. Qui e contrario ab hac  
discedunt, in his ejus castitatis ac probitatis,  
quae christianum, et sanctorum doctorem, de-  
cet, parum aut nihil cernitur. Ita prisci divi-  
norum interpretes vita, sermone et scriptis mo-  
rum decorem, animum divinitus subactum, et  
cum maxima scientiae copia summam modestiam  
ostendebant. Nostri autem, ingenio suo indul-  
gentes, in rebus sanctissimis desultoria versantur  
levitate, fastu tument, de se ipsis impudentissi-  
me et circumforaneorum instar gloriantur, alios  
sectae suae non addictos stupidos, asinos, illitte-  
ratos, decrepiti ac mutilati ingenii homines,  
sibi unice placendo, nominant, eo loquendi ge-  
nere utuntur, quale in cauponis, aut in mer-  
catibus inter casei et halecum venditores, aut  
apud histriones consuetum est, omnem vitae de-  
centiam negligunt et bacchanalia ludunt. Unde  
quam venerandi sint doctrinae, quam profiten-  
tur, ministri, in fronte jam indicant.

Non tamen semper cum doctrinae et praceptorum puritate conjunctus est Deo devotus animus, et multi ea, quae religiose docent, vita et factis falsitatis arguunt. Nonnulli enim per desidiam tantum ea, quae purae doctrinae viri tradiderunt, memoriae infixae, sine certa animi persuasione, sua faciunt, aut quaestus causa vetus carmen, quod alii praeierunt, modulantur, aut omni cerebri certa persuasione, quae in pectus descendere non potuit, ne sensuum lenocinio obsecudent, a se impetrare non possunt. His nihil prodest, quod meliora sciant. Omnem veritatis bene perceptae laudem in affectione reipublicae utili et Deo grata confistere apparet. Haec animi et vitae probitas ingenio rite instructo demum addit pretium, haec est, ad quam praecepta Dei omnia diriguntur, et quae licet sine justis praeceptis non possit obtineri, his tamen adeo necessarium est additamentum, ut sine ea ornatissima scientia prouice cassa sit.

Morum christiana pietas in sincero Dei amore, justitiae ejus, sanctitatis, infinitae ejus praesentiae et reliquarum divinarum virtutum, quae captum hominis superant, perpetua cogitatione, continua cum Deo in precibus fundendis

dis

dis et gratia referenda consuetudine, atque ad si-  
duo ad ingenium et animum emendandum, et  
ad bene agendum, nisi consistit. Haec, ut veris  
sibi et aliis homo profit, summe est necessaria.  
Propensam ei Dei voluntatem conciliat, sine  
qua vere salvus et felix esse nequit. Cupidita-  
tes, quibus omnis humanae sapientiae vis aegre  
dominatur, efficacissime refrenat, et ad omnia  
virtutis munera animum confirmat et acuit. Prin-  
cipem et patriam amare, et omnia boni civis  
munia explere docet. Parentes movet, ut libe-  
ros bene edificant, et liberis obsequium et grati-  
tudinem erga parentes suadet, conjuges ad casti-  
tatem, concordiam et intimam animorum con-  
junctionem deducit, dominorum in servos et  
domesticos imperium temperat, et hos non metu-  
atque sola mercedis cogitatione, sed studio et  
alacritate, quod opus est, facere adsuefacit.  
Principes hanc colentes exemplum virtutis civi-  
bus iuis praeuent, a tyrannide et potestatis suae  
abusu impediuntur, injustis aut inutilibus bellis  
non implicantur, fidem foederum sancte servant,  
de omnibus, quae populo utilia sunt, sapienter  
prospiciunt, fidos, diligentes et peritos ministros  
adhibent, aerarii opes tamquam boni patresfa-  
milia custodiunt et impendunt, in proemiis et  
poenis

poenis justitiam et aequalitatem sequuntur, de  
 legibus et institutis caute deliberant, et ne con-  
 temnantur aut posthabeantur, vigilant. Mini-  
 stri Principis, hac imbuti, principi suo non nisi  
 honesta et utilia consulunt, et ut muneri satis-  
 faciant, principisque, reipublicae et cujusvis  
 civis commoda promoteant, omni cura et in-  
 dustria contendunt. Scholarum et templorum  
 ministri hujus indolis omnia, quae docent, ad  
 formandam bonam mentem transferunt, animum  
 probitatis igniculis accendunt, ab inutilibus et  
 noxiis abstinent, ipsique suo exemplo preeceptis,  
 quae tradunt, robur et autoritatem tribuunt.  
 Judicis religionem constringit Dei cogitatio, ne  
 ultra citraque rectum deflecat. Medicum, ut  
 quae ad salutem hominum adferre potest, confe-  
 rat, eadem meditatio admonet. Ita animati  
 cives leges non gravate sequuntur, quae publici  
 onoris causa necessaria sunt, fideliter conferunt,  
 nec principem, nec concives, laedunt, aut frau-  
 dant, pro patria et aris focusque intrepide dimi-  
 cant, et communem gloriam atque utilitatem,  
 suam judicant. Rara tum sunt furta, rapinae,  
 latrocinia, prodiciones; cessant rixae, injusiae,  
 caedes, incendia; non opus est ad cohendendas  
 libidines publicis ganeis et lupanaribus, ignotae  
 sunt

sunt fraudes, perjuria, decoctorum et perfidorum tutorum infamia, aut falsae monetae, falsi ponderis et numeri, falsaeve mensurae et mercis nequitia.

Certatum est his diebus, qua via mores civium optime formari, homines ad industriam et patriae amorem excitari, et ut frugi sint, permoveri possint. Hic, ut seculi nostri est ingenium, religionis ac morum pietatis nulla fere, aut perfunditoria tantum, facta est mentio. Omnes fere, ut de virtutis excellentia, gloria, utilitate communi, praemissisque in hac vita, edocerentur tenelli animi, ut multarum rerum utilium, quae hominibus e plebe adhuc incognitae fuerunt, horum ingeniis insinuaretur scientia, ut in religione et sacris ipsis acutum videre discerent, in eaque nullius in verba magistri, nec in sacrarum litterarum auctoritatem, jurarent, sapienti supercilio et quasi e tripode respondebant. Sed inanis et sine fructu est omnis haec misera diligentia. Nec frigida illa virtutis depictio, nec lumen scientiae ingeniis accensum, satis habet ad voluntatem movendam efficaciam. Non contempnenda sunt haec, si cum solida in rebus divinis institutione, et ad probitatem christianam

nam deductione conjungantur, sola autem detri-  
menti plus, quam utilitatis adferunt. Fastum,  
licentiam, renitentiam, dicacitatem, opificii et  
vilium laborum taedium, in hac inferiore civium  
classe augebunt, reipublicae non proderunt.  
Cum altioris fortunae hominibus haec non de-  
sint, oporteret in illis plus probitatis, frugalita-  
tis, honestatis, fidei, sani ingenii, et morum  
integritatis, temperantiae, justitiae, aequita-  
tis, virtutis denique omnis, deprehendi, quam  
videmus, et quam in inferiore ista fortuna resi-  
det. Sed tantum abest, ut superior hominum  
classis hac in parte inferioribus praestet, ut si  
verum confiteri velimus, ab his plerumque supe-  
retur. Nisi emendetur animus, cui rei homo,  
nisi a Deo adjutus, impar est, tyrannide quasi  
quadam libidinum ad quodvis facinus, cuius  
occasio est, abripitur. Malignitas, quae animo  
cohibetur, prosilit et erumpit invito et nihil tale  
cogitanti. Sola hic religio medicina est, quae  
nec nisi sancta cogitare, et primum mali somitem  
in animo extinguere, praecipit, atque ad hanc  
arcem occupandam in precibus, quotidiana  
sanctorum cogitatione, et Dei auxilio, arma et  
vires suppeditat.

Omnia

Omnia opima bona, quae supra enarravimus, se in rempublicam infundunt, si ad sincera praecepta et pios mores praeparantur et instruuntur civium animi. Dei tum gratia et benevolentia fovet et amplectitur rempublicam, quae ita se totam ipsi devovet, eamque omni felicitate, quae solo ab ipso pendet, cumulat. Documento est Judaeorum civitas, quae semper tum maxime floruit, cum divinae voluntatis esset studiosissima. Comprobat et Romanorum respublica, quae licet gentili errore coeca, tum tamen optime stetit, cum pia numinum suorum reverentia cives tenerentur, et sic fidem, pudicitiam, continentiam, candidosque mores colerent; mox autem, ubi religionum contemtus et profanitas animos occupaverat, praecipiti lapsu in ruinam festinavit. Idem docent et nostri temporis regna, provinciae et respublicae, ubi quo plus ex pristino in nomine colendo fervore remansit, eo magis et singulorum et publica salus perduravit, in iis autem ubi a sua religiositate desciuit natio, et querelarum et calamitatis omnia plena sunt.

Debet itaque princeps hoc beneficium et sibi et reipublicae, ut sacrae scripturae auctoritatem

tatem et mentium ac morum sanctitatem, quantum fieri potest, tueatur, ut puerilis aetatis ingenia sufficiente rerum divinarum cognitione, et animos vera Numinis reverentia imbui curēt, scholis et templis non nisi eos admoveat, qui ad hunc finem obtainendum spectatae virtutis sunt, simulque in muneribus publicis, honoribus, praemiis eos, qui sinceram et piam mentem cum dexteritate et solertia conjunctam habent, aliis ab hac probitate alienis praeferat.

Quod si facit, tantum abest, ut gloriae suae, timere debeat, ne desit, ut potius cum Pio Ernesto, Gustavo Adolpho, et religiosis ipsis, sub primis reformatorum sacrorum temporibus qui vivebant, Saxoniae Electoribus, et magnis illis Suecorum ingeniis, qui Germaniae libertatem vindicarunt, nomen perenne et duraturam famam consecuturus sit.

Nec tantum, praesentis salutis causa, hanc curam a principe postulat respublica, sed et ea, quae quemvis nostrū manet, in futuro Dei iudicio, de administrato vitae munere, rationum redditio. Ibi enim, an et christianum se esse principem memor fuerit, an, non brevis tantum  
vitae

vitae in his terris, sed aeternitatis causa, cives suos natos fuisse, consideraverit, an, ut et hic et illuc iis bene sit, prospexerit, et an, non sibi tantum, sed et Deo vivere, eos docuerit, investigabitur. Cujusvis hominis officium est, ut alios omnes juxta se adjuvet, quo iis bonis potiri possint, quibus ad felicitatem suam indigent. Dei quoque et gloria et voluntas exigit, ut, quos-cunque possumus, ad veram ejus cognitionem et justum ipsius cultum perducamus. Princeps igitur, cui ejus rei facultas data est maxima, eo inexcusatus ageret, si oblata sibi occasione non sapienter uteretur.

Prospiciat itaque Princeps, ut pueriles et juveniles animi per omnes terrarum suarum scholas justa instruantur divinorum cognitione, et ad mentem candidam Deique reverentem, ostensa ejus excellentia, indicatis Dei mandatis, et propositis in utramque partem ab illo ipso et poenis et praemiis, ferantur. Nec ad scholas, nec ad academias, nec ad quocunque reipublicae munis accedant alii, quam qui ea, quae christianum oportet, bene sciunt et agunt, sicque verbis et re quotidie emendant ac praeluent. Ipse denique princeps sumimum omnis christiana*e*

virtutis exemplum civibus suis praebeat; ad quod laudatissima imitatione componantur. Hac via perpetua laus, famaque et honor ipsum manebunt, optatissimum civitatis felicissimae fructum percipiet, et bene facti officii conscientia in quocunque vitae statu ipsi et voluptati erit et solatio. Tandem nec ipsum appropinquans mortis hora terrebit, et post mortem aeterna habebit civitatis bene rectae praemia.

CENSU

CENSURÆ EDICTI REGII HUJUS  
ANNI, QUO IN SACRIS DOCENDI  
LICENTIA COERCETUR,  
CONFUTATIO.

Inde a Baumgartenii fere morte tanta in rebus  
sacris quidlibet sentiendi, scribendi, propagan-  
di, e suggestibus publicis aedium sacrarum fre-  
quenti populo proponendi, et in scholis adeo  
docendi licentia, inolevit, ut major sane pars  
tam inter litteratos, quam nullius scientiae homi-  
nes, tam inter eos, qui in honestiore loco con-  
stituti sunt, quam inter plebejos, hac peste sit  
infecta. Cum tam longo tempore nefario tor-  
renti nulla opposita esset moles, lex autem re-  
gia huic animorum impotentiae frenum hoc anno  
injiceret: facile praevideri poterat, filium info-  
lentem, tam diu nulli disciplinae adsuetum,  
coelum terramque moturum, ne intolerando  
nunc sibi paterno obsequio collum submittere  
cogeretur. Occupavit effrenis cohors omnem  
fere annalium litterariorum possessionem, ut,  
quae ex antiquiore sapientia prodeunt fiuntque,  
risui exponant, et stupiditatis accusent, sola-

que ea, quae a divinis litteris et vera ratione quam longissime recedunt, quo magis incondita sunt, eo magis plausu et congratulatione excipiunt. Hic itaque etiam edictum regium censuris non caritatum, et aggressores ejus qualemunque patrocinium, inventuros, praesagire poterat animus. Orti jam nunc sunt scriptores, qui temerarie de sapiente et necessario edito judicarunt, nec deerunt plures tam domestici, quam externi veri cultus divini hostes, qui occulta aut manifesta rabie catenam mordebunt, et, applaudentibus publicis reipublicae litterariae praeconibus, exultabunt.

Sed maecte sapientia, maecte constantia, Optime Princeps, Deus quandoque dabit his quoque finem. Si ab omni crudelitate remotus, severitate legis auctoritatem tuitus fueris, et non nisi Deum verentes viri officiis publicis, cathedralis scholisque, et sacris ministeriis admoveiris, non deerit bene coepitis optatus olim evenitus, qui Deo placeat, et reipublicae prospicit.

Repetunt censores, quod ad nauseam usque jam diu pro sua causa conquisiverant, sed inani opera iterum iterumque recoquunt. 1) Praeclaram

elaram esse, dicunt, sentiendi libertatem. Hac sola humanitatem sentiri et evehi. Ingenio injici vim non posse sine piacula. 2) Si novo quotidie lumine collustrentur ingenia, tum demum, quid homo valeat, intelligi, alias deprimi et brutis aequari. 3) Ipsos purgatorum sacrorum autores hac via incessisse, ut offusas animis caligines dispulerint, et accenso novo lumine de genere humano meriti fuerint. 4) Non posse ullam de iis, quae in divinis censenda sint, praeter verbum divinum obtrudi humanam regulam. 5) Plurimos jam, inter Augustanae confessionis confortes numeratos, homines ab hac descivisse, et permultos ex plebe, jam meliora doctos, aniles ejus fabulas contemnere. 6) Pro rostris sacris in multis jam alia docuisse sacrorum ministros. Si nunc aliqua tantum eorum, quorum jam monstrata sit falsitas, concioni suae persuadere ausi fuerint, tum non in his tantum, sed in aliis quoque, de quibus dubitatum nondum fuerat, se fallendos et decipiendos putatiros, qui docentur. 7) Honore et vietu indigne fraudari sacrorum doctores, si serio jam pridem cum auditoribus communicata nova lumina ipsi extinguere, erroremque profiteri, aut sacro munere se abdicare cogerentur. 8) Nil inde oriturum, nisi,

ut aliud pectore clausum, aliud lingua promptum  
haberent templorum ministri, et animi senten-  
tiam sinistra simulatione tegere cogerentur.  
9) Non defuturos, qui eorum, quibus contra  
praescriptam regulam verbulum excidere puta-  
rent, nomina ad judicia deferrent, et vel cum in-  
juria iis crearent molestias. 10) Non posse  
novarum doctrinarum pullulationes aut dissemi-  
nationes lege, licet severissima, impediri, cum  
et scribendi, quae velis, alibique scripta accer-  
fendi, in Germania non desit occasio, qua ratio-  
ne novi ingeniorum foetus ubique innotescerent,  
et eo avidius arriperentur, quo magis iis resistere-  
tur. 11) Ridiculum esse, ut quae singularum secta-  
rum homines olim inter se constituerint, veri-  
tatis instar sola publice probari et doceri de-  
beant, cum tot in territorio sint sectae, quae  
de eodem argumento plane contraria inter se  
amplectantur.

Sed facile dispelli possunt illae nebulae, si  
serenior lux accedat. Ante omnia in iis, quae  
Deus credenda et agenda praecepit, homini  
nullum esse, aut parendi, aut suam animi senten-  
tiam sequendi, arbitrium, praemonendum est.  
Omnes homines Deum tamquam supremum  
omnium

omnium dominum reveri, et mandatis ejus obedi-  
re oportet. Manifestavit Deus in divinis lit-  
teris voluntatem suam, et salutis viam, quae  
que sequi et in sacris vera aestimare oporteat.  
Ab his ne latum quidem unguem recedere licet.  
Litterarum sacrarum unica, vera, et ab omni-  
bus tenenda interpretatio est ea, quae quam mi-  
nimum a verborum proprietate recedit, et cu-  
vis, ubi attente totam orationis seriem et com-  
pagem perlegerit et consideraverit, statim est  
obvia. Si hoc modo verborum sententia exeat,  
rationi displicens, nulla adest causa a plano  
et simplici eorum sensu recedendi, et aliam iis  
inferendi mentem, quae sapientiae tuae magis  
arrideat. Ideo enim, quia ratione non poterant  
intelligi ea, quae Deus in suis oraculis docuit,  
haec edita sunt. Si preesse ea sequaris, tum de-  
mum te non errare, aut, si erras, autore Deo  
errare persuasum habere potes, quod Deo disipli-  
cere nequit. Si alto supercilio despicias et re-  
jicias, quiequid in divina scriptura ex tuo di-  
ctum non videtur acumine, tum sane indignus es  
indulta tibi divinae voluntatis cognitione, et  
quum aliam viam eligas, quam Deus ostendit,  
hanc ad Deum te ducere frustra opinaris. In-  
terest itaque salutis aeternae cuiusvis hominis,

ut non ipse tantum hanc planam divinae voluntatis explicationem religiose sibi jussam, et in vita exprimendam putet, sed et ut in aliis, qui christiani haberi volunt, eadem, tamquam unicam veram Dei reverentiam, generet et alat. Idem eo magis principis et omnium eorum, qui cum auctoritate pluribus imperare possunt, officium est.

Oportet certos libertatis sentiendi esse limites, alioquin et furta, adulteria, aliaque crimina, ut jam factum est, pro licitis censeri possunt ab hominibus pravae aut emotae mentis, quod adeo nec vetandum esset, cum moribus et reipublicae ruinam minetur.

Lumen ingenii accendere paeclarum est, sed si id lumen, quod menti admoveris, eam lucem, quam sacrae litterae paeferunt, extinguat, tum non lumen, sed incendium est. Si tum ad bruta hominem degenerare censes, ubi simpliciter perspicue expressas in litteris divinis doctrinas veneratur et colit, tum saltim non nisi ad ea appropinquat bruta, de quibus ipse Deus dixit, quod dominum suum, et stabulum ac paesepe ejus agnoscerent, tu autem ad eos

Israe-

Israelitas referendus es, quibus supremus fons  
dominus ignotus est.

Ex casta et sobria, quam supra indicavimus,  
sacrarum litterarum interpretatione nata est  
Augustanae Confessionis descriptio. Omnia,  
quae in ea continentur, ipsis fere scripturae sa-  
crae verbis dicta sunt, aut ea comprehendunt,  
quae in hac utraque pagina occurunt. Qui istam  
itaque fidei formulam sequuntur, ii non reci-  
piunt humanam fidei christianaee regulam, sed  
ipsam scripturam sacram pure et sincere colunt.  
Subjiciunt se ipsi, tam, qui Lutheri nomine ap-  
pellantur, quam qui reformatorum sacrorum  
adseclae dici volunt, ita, ut non nisi in paucissi-  
mis, quae nominari vix merentur, et arcem fa-  
lutis non tangunt, praeferunt hodie, et in ter-  
ris nostris, differant. Si horum doctrinas sacras  
illibatas servari jussit christianus Princeps, ipsa-  
rum sacrarum litterarum et divinae voluntatis  
egit statorem et vindicem, nec nisi ea explevit,  
quae cuivis, olim Deo rationes reddituro, chri-  
stiano principi incumbunt. Nonne eadem fece-  
runt Israelitarum pii reges, quorum memoria  
in ipsis sacris litteris laudata et commendata est,  
et quibus, una cum populo, eorum iussibus ad

sacra puritati suae restituenda parenti, tantum felicitatis Deus indulxit, ut, quam eorum conatus probaret, manifeste testaretur? Eadem christianarum rerum publicarum hodie dum est conditio, quae olim fuit Judaicae, ubi eadem utrobius est ratio. Ibi sacer cultus a Deo ipso iussus sancte custodiendus erat. Idem et hodie faciendum, et nullo umquam tempore negligendum erit. Imitatus est Rex noster Potentissimus pium exemplum pristinorum Principum Augustanae Confessionis, et Imperatorum Christianorum, in primis a Constantino magno, saeculis, qui et haereses veterunt, et normas docendi antistitibus praescripsérunt.

Quando puriorum sacrorum ipse consors princeps, ejusdem cultus divini cives suos ad sancte retinendam sacrae scripturae regulam vocat, tum non nisi ea agit, quae sacrorum suorum cum ipsis communio, et principis officium, ut jam dictum est, exigunt, et quae Deo et sibi ipsis debet. Praeterea cum translata in ipsum sint, tempore repurgatorum sacrorum, civium suorum, ejusdem in sacris persuasionis, jura, haec in salutem ipsorum eo magis exercere et potest et tenetur, eoque minus cuiquam facit injuriam.

Quae

Quae de aliorum sacerorum subditis editio immiscentur, ea ideo tantum addita, quia his tutelam et paectorum fidem princeps debebat. Alias, quae internam horum in sacris oeconomiam concernunt, ipsam non tangunt. Alien a igitur a loco est censura, quod veritas ubique docenda injungatur, cum tamen tot in republica sint Dei cultorum familiae, contraria inter se statuentes, ut nesciatur, quaenam vera sit veritas. Ut pro veris colantur ea, quae alienae a principe doctrinae cives profertur, id non injungit princeps, sed tantum, ut ita doceri possint, permittit. Sed ne civibus, suorum sacerorum sociis, jure persuasa vero christiano doctrina corrumpatur, id tantum tamquam consors et fidei suae christiana intelligens princeps praecipit.

Ipsius, ut Augustanae confessionis Principis, auctoritate admoti officiis suis sunt horum sacerorum antistites. Ipsius auctoritate ipsis praebentur salario. Quae itaque hos cepit vesania, cum, posse illum officio administrando conditiones praescribere, in dubium vocare velint?

Ut honori ipsorum et fami, si Deo et principi obedire nolunt, propiciatur, sine jure exigunt. Injuria iis non fit, qui a munere dimituntur, cuius conditiones implere noluerunt. Poenae, quas princeps minatus est, justitiam non

non laedunt, cum praeditae sint, et immorigerum civem maneant. Cum sigillatim expressae non sint, eas non atrocissimas fore, more jure consultorum declaratum est.

Non potest honori sacrorum ministri detrahere obsequium in re justa principi praestitum, quo vera Dei praecepta nunc populo annunciat, praesertim cum perperam antea fecerit, quod officii formulam ob oculos non habuerit. Quae ipse sibi privatim persuadet, ut in iis salva sibi sit sua sapientia, permisit Indulgentissimus princeps. In concione sacra quae facit, cum tamquam merus Augustanae confessionis civium minister faciat, ne dissimulationem quidem privatae conscientiae inferunt, quae huc plane non pertinet. Si aliquid mali insit diversae in uno homine conjunctae personae, illud necessarium est, et minus est, quam si ipsi quicquid in buccam venit, pro concione effutire permetteretur, quo et mortibus et futurae hominum saluti posset noceri.

Quae a delationibus timentur, non sunt sacris propria, sed in omni reipublicae parte eadem sunt. Si jure desertur legum contemtor, nihil inest mali. Sin maligne id sit, judicii, jurato et honesto viro, credendum est, nihil illum in innocentem decreturum, et calumniatorem non impunem fore.

Quod

Quod multorum, quae Augustana confessio probavit, ostensa sit falsitas, id temere et imprudente fastu gloriantur novarum doctrinarum architecti, quibus nihil verum est, nisi quod sacrae scripturae est oppositum. Num sincerae in Deum pietatis viros, primos veritatis heroes, manifestissimo Dei auxilio adjutos, inter fluctus, pericula et ardua tentatos et defaecatos, vere virilis et constantis ingenii homines, nullis ad rem intime pernoscendum subsidiis destitutos, devotissima in Deum mente omnia, quae in utramque partem dici possunt, serio aestimantes, vera non vidisse putemus, nostrates autem delibutos, et vino ac oleo nitentes, nec quid sit modestia, Dei reverentia, sermonis et vitae decus ac castitas, sacrae scripturae honor, precum Deo fundendarum necessitas, intelligentes, divinorum esse arbitros, de quibus nobis gratulari possimus? Sic qui cum scriptura sacra loquitur, mentitur, nostri autem, qui in re salutis gravissima cavillantur, veritatis praecones sunt? Nonne demonstrant Augustanae confessionis sinceri ministri omnia, quae docent, apertissimis scripturae divinae locis? Potestne hic auditor falli?

Si fieret, ut in uno humani quid passus sit, qui divina docet, cum forsitan ex sacri codicis

dicis locis id ostendere nequeat, an ideo, in aliis quoque, quae expresse ibi scripta ille probat, ne circumveniatur, timere potest, qui docetur? Nonne sibi ipsi ad manus est scriptura, nonne ipse legere potest, quae ibi scripta sunt, ut auctoritatis opinio illum movere nullo modo debet? Quodsi vero novis suis argutiis concionem impleat morum ex ingenio suo doctor, nonne tum potius falli auditorem oportet, et non in uno modo, sed in omnibus, vere illum circumventum iri certissimum est, quum a veritatis lydio lapide, scriptura sacra, recessum sit?

Quod multi jam e plebe doctoribus non sunt sapientiores, dolendum est. Late omnino manavit virus. Infimae jam hominum classi ferdet scriptura sacra, et honestae morum severitatis locum ubique fere jam occupavit scurrilitas. Sed meliora docendi sunt ii, qui a pravis ducibus corrupti sunt, et supersunt, etiam alii, qui de rebus divinis solidius adhuc sentiunt. Si in illorum hominum gratiam doctoribus ipsorum similibus in cathedra sacra dissolutis esse permitteretur, ad conciones sacras nemo amplius accedet, cui Dei causa cordi est, quia non, quae Deus velit et doceat, sed quae nova recentissime orator habuerit somnia, ibi audiendum et discendum erit.

erit. Imperitae multitudinis curam et patroci-  
nium suscipere debet sapiens princeps christianus.

Quod purgatorum sacrorum autores in  
exemplum adducunt novatores, et ab his licen-  
tiae suae excusationem petunt, in eo omnium bo-  
norum merentur indignationem, qui tantis viris,  
tam illis dissimiles, comparare se non erubescunt.  
Illi vere cordati, sancti, cauti, et sapienti con-  
silio omnia circumspicientes viri solam scripturae  
litteram fecuti sunt, ideoque traditas ante sua  
tempora doctrinas impugnarunt, quoniam a divi-  
nis litteris ubique fere deviarunt divinorum in-  
terpretes. Nostri autem, qui nullam scripturae  
sacrae rationem habent, stantes in uno pede,  
hodie hanc, cras illam sapientiam ingenio ex-  
plodunt, orationem, meditationem tentationem  
que, quam illi veteres emendatorum sacrorum  
antesignani in genuino divinorum doctore requi-  
rebant, rident, illorum viva, si Deo placet,  
imago esse volunt.


Non posse omnino opprimi renascentia quo-  
tidie opinionum monstra, verum est; inde tamen  
nullum eis obicem ponendum esse, non sequitur.  
Sic et rapinae et incendia e republica non peni-  
tus possunt proscribi, licet severissimis legibus  
iis interdicendum esse nemo neget. Facit ta-

men

mien aliquid seria principis voluntas, legis rigor, et melioris indolis civium obsequium. Si omnes Germaniae Principes rerum potentes et magistratus Regis nostri exemplum sequentur, multum id omnino ad continentiam audaciam faceret. Cui impedimenta opponuntur, contagio non potest tam repente quicquid sanum est corrumpere, quam de qua cavenda magistratus plane non cogitat. Sic jam olim Arianorum error integrum fere christiantm orbem infecerat, qui postea tamen Principum providentia inter christianos oppressus est.

Quia ergo inde a repurgatis sacris per duo saecula et dimidium, dum res evangelica maneret, de salute rerum publicarum hujus purioris doctrinae bene actum est, in quas post derelictam purioris sanctae severitatis viam tot se insinuarunt mala: etiam redito nunc sacro codici suo honore, detrimentum respublicas non solum non capturas, sed etiam jam flaccescentem iis florem pristinum redditum, sperandum est.





AB:155561

**ULB Halle**  
006 223 516

3



R

15

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres



TI CHRISTIANI WESTPHAL

JUR. PROF.

# CONCIONES DUAE.

ALTERA

XIA RELIGIONIS JURECONSULTIS  
A NONNULLIS EXPROBRATA.

ALTERA

IN COGNITIONE ET REVERENTIA  
LICIS CHRISTIANIS NECESSARIA.

ACCEDIT

RAE EDICTI REGII  
HUJUS ANNI,  
ACRIS DOCENDI LICENTIA  
COERCETUR,  
CONFUTATIO.

E MAGDEBURGICAE, —  
JOANNIS JACOBI GEBAUERI.  
1588.